

habere exceptionem, quæ per replicationem excludi potest; cum ita se habeat replicatio ad excludendam exceptionem, sicut se habet exceptio ad excludendam actionem l. 2, ff. de Except.

5. *Enarrantur causæ legitimam reddentes exceptionem.* — Porro causæ justæ, legitime excusantes, legitimamque reddentes exceptionem, ne quis censeatur esse in mora, plurimæ sunt; ex quibus aliquas in specie subjungimus. Tales namque sunt primo, si solutio pro tempore est impossibilis, aut justo difficilior; quia « nemo potest ad impossibile obligari, » juxta reg. 6, de Reg. jur. in 6, et dicta ad eandem supra. Secundo, si debitum provenit ex facto alieno: ut si testator relinquit debitum, quia hujus datur excusans ignorantia juxta regulam 13, de Reg. jur. in 6. « Ignorantia facti, non juris excusat: » et dicta ad eandem supra. Tertio, si creditor debito tempore solutionem oblatam acceptare renuit, per dicta ad reg. 25, num. 2. Quarto, ubi mali doli, vel metus gravis injuste incussi contra prætendentem, vel petentem creditorem datur exceptio l. Pecuniæ funebri. 9, ff. de Usur. et toto titulo de Doli mali, et metus exceptione. Quinto, si debitum non est liquidum. Sexto, si jam facta est compensatio aliqua est parte petentis. Septimo, si petens ipsemet contractum non implevit. Octavo, si exigui temporis dilatio est; quia in hac notabile non sentitur damnum l. Si debitori. 21, ff. de Judiciis. ibi: « Neque enim magnum damnum est in mora modici temporis; » nec est necesse statim cum sacco currere. l. Quod dicimus. 103, ff. de Solut. ibi: « Quod dicimus debere statim solvere, cum aliquo scilicet temperamento temporis intelligendum est; nec enim cum sacco adire debet. »

6. *Citatus etiam ab illegitimo judice (nisi notorie sit talis) comparere debet.* — Objicitur autem contra regulam primo; qui excipit contra judicem non suum, legitime excipit, l. Contumacia. 53, ff. de Re judicat. et l. fin. ff. de Jurisdictione, ibi: « Extra territorium jus dicenti impune non paretur. Idem est, et si supra jurisdictionem suam velit jus dicere: » et tamen si citatus a tali judice non comparet, in mora esse, et contumax reputatur, l. Si quis ex aliena. 5, ff. de Judiciis. Resp. hoc verum esse, quando dubium, seu notorium non est, judicem esse incompetentem; quia « Prætoris est, æstimare, an sua sit jurisdictio, vocati autem non contemnere

auctoritatem prætoris, » uti dicitur cit. l. Si quis ex aliena. Hinc citatus venire debet saltem ad ostendendam fori incompetentiam, cit. l. Si quis. ibi: « In jus vocati veniant, sua privilegia allegaturi. » juncta l. 2, ff. Si quis in jus vocatus, ibi: « Ex quacunque causa ad prætorem, vel alios, qui jurisdictioni præsent, in jus vocatus venire debet; ut hoc ipsum sciatur, an jurisdictio ejus sit. » Quare si vocatus contra hoc excipit, legitimam exceptionem non habet per leges citatas. Secus est, si notorium habetur, quod citans iudex incompetens sit; tunc enim comparere non tenetur, sed legitima exceptione se tueri potest. cit. l. fin. ff. de Jurisdictione. et c. fin. de Constit. in 6, ibi: « Cum extra territorium jus dicenti non pareatur impune; » patetque in casu, quo clericus a laico, utpote notorie incompetenti iudice citatur.

7. *Legati dominium statim post mortem legantis transit ad legatarium.* — Objicitur secundo. Debitorum ex personali actione condemnati gaudent legitima exceptione, l. Debitoribus. 31, ff. de Re judicat. et tamen hæres pro re legata conventus, et condemnatus, non obstante hac legitima exceptione tenetur ad restitutionem fructuum, post litem contestatam perceptorum, l. In Fideicommissis. 3, ff. de Usur. Ergo etiam legitima exceptio non excusat a mora. Resp. hæredem in hoc casu ad fructuum restitutionem teneri non propter moram, sed ne ex re legata, tanquam aliena locupletior fiat contra reg. 48, de Reg. jur. in 6, ibi: « Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria. » Strein, hic. n. 3; Salycet. in cit. l. In Fideicommissis. Cum enim rei legatæ dominium legatarius statim post mortem legantis acquirat, l. A Titio, 64, ff. de Furtis. ibi: « Quia ea, quæ legantur, recta via ab eo, qui legavit, ad eum, cui legata sunt, transeunt: » ex illa tanquam re aliena hæres fructus percipere non potest, et si percipit, legatario restituere tenetur.

8. *Illegitima exceptio non excusat a mora.* — Objicitur tertio, l. Nemo. 82, ff. de Verb. oblig. pro moroso habetur, qui excipiendo in judicio « litigare maluit, quam restituere: » ergo exceptio non purgat moram. Resp. ibi sermonem esse non de justa, et legitima, sed injusta exceptione: quæ utique moram non excusat, bene vero exceptio legitima et justa, textu claro l. Si quis solutioni. 24, pr. ff. de Usur. et fruct. ibi: « Si quis solutioni qui

dem moram fecit, iudicium autem accipere paratus fuit, non videtur fecisse moram: utique si juste ad iudicium provocavit. »

REGULA LXI.

QUOD OB GRATIAM ALCUJUS CONCEDITUR, NON EST IN EJUS DISPENDIUM RETORQUENDUM.

1. *Regula, unde?* — Desumitur hæc regula ex l. Nulla. 25, ff. de Legibus. ibi: « Nulla juris ratio, aut æquitatis benignitas patitur, ut quæ salubriter pro utilitate hominum introducuntur, ea nos duriore interpretatione contra ipsorum commodum producamus ad severitatem, » et l. Quod favore. 6, c. eod. ibi: « Quod favore quorundam constitutum est, quibusdam casibus ad læsionem eorum nolumus inventum videri. »

2. *Ponitur versus regulæ sensus.* — Quæritur I. Quomodo hæc regula intelligenda, et quis verus illius sensus sit? Resp. eam intelligendam esse juxta sequentem sensum, qui proprius illius est: « Quod alicui conceditur ut gratia et favor pro commodo ac utilitate, non ita interpretandum est, ut ei sit oneri, incommodum vel præjudicium. » Ratio regulæ est, quia rescripta accipiunt vires et effectum ab intentione rescribentis, arg. c. Ad aures. 8, de Rescript. ibi: « Cum non sit intentionis nostræ: » et quod ad unum effectum, atque finem ordinatum est, ita accipi non debet, ut producat effectum contrarium. l. Cum et iudices, 2, § 9, c. de Jurejur. propter calumn. ibi: « Ne aliquod contrarium eveniat proposito nostro, et quod pro compendio litium introductum est, protinus hoc in adversariam figuram transformetur. » consequenter quod alicui tanquam gratia et favor concessum est, in ejus odium, incommodum, et præjudicium trahendum non est per jura n. 1, allegata: præsertim cum alias gratia et favor concessus, exuta sua natura, odium et onus evaderet.

3. *Declaratur exemplis juris quæ minoribus sunt sine auctoritate tutoris, valida sunt, si in eorum commodum cedunt, invalida autem, si eis damnosa essent.* — Declaratur regula exemplis juris, et quidem præcipue in minore; in hujus siquidem favorem statutum est, quod non possit stare in judicio sine auctoritate tutoris, l. Clarum, 4, c. de Auctoritate præstantia, ubi ratio apponitur illis verbis: « Ne ex sua imperitia, vel juvenili calore aliquid vel dicant, vel taceant, quod si

fuisset prolatum, vel non expressum, prodesse eis poterat, et a deteriore calculo eos eripere, » juncta l. Momentanea. 3, c. « Qui legitimam personam standi » et c. adeo ut si nihilominus sine auctoritate tutoris litiget, et contra ipsum feratur sententia, hæc de jure nulla sit l. 1, c. eod. ibi: « Si, cum esses pupillaris ætatis, sine tutoris auctoritate cum adversario consistens, præses provinciæ adversus te pronuntiaverit, minime auctoritate judicati nititur, quod statutum est, » cum concord. Et tamen si sententia in favorem minoris litigantis sine auctoritate tutoris fertur, valida existit, l. Non eo minus. 14, c. de Procurat. ubi pariter ratio subjungitur his verbis: « Minoribus enim ætas in damnis subvenire, non in rebus prospere gestis obesse consuevit. »

4. *Rursus in favorem minorum introductum est beneficium in integrum contra venditorem: quo uti si nolit, adversarius petere non potest rescissionem contractus invito minore: ne in ejus læsionem, vel damnum retorqueatur, quod in illius favorem introductum est.* l. Si iudex. 41, ff. de Minor. Sic pariter in favorem minoris lege introductum habetur, quod si moveatur quæstio de statu, et bonis illorum, iudicium differri debeat usque ad annos pubertatis, l. Carbonianus. 3, § 5, ad finem, ff. de Carbonian. edict. ibi: « Ne de statu periclitentur, antequam se tueri possint, » ut ait lex; et tamen si paratas pro se habent probationes, et causam statim decidi volunt, id fieri debet, ne quod in favorem concessum habetur, in eorum vertatur præjudicium. cit. l. Carbonianus. ubi eadem additur ratio; quia « non debet adversus pupillos observari, quod pro ipsis excogitatum est, et pendere status eorum, cum jam possit indubitatus esse. »

5. *Professores plebeio genere nati, evadunt nobiles docendo viginti annis. Privilegia antiqua per nova non tolluntur, sed augentur.* — Sic ulterius professores, de plebeio genere nati, etsi 20 annis docendo efficiantur nobiles, l. un. c. de Professor. qui in urbe Constantinopolit. Tamen non perdunt favores, quibus ut plebei gaudebant, ne nova gratia, et favor concessus eis noceat. Et universaliter novæ gratiæ, et favores non extinguunt veteres: nec per nova privilegia tolluntur, vel revocantur antiqua (nisi exprimator) sed augentur et confirmantur l. fin. c. de Præpositis agentium in rebus, ibi: « Ita tamen, ut privilegia, quæcunque iam per dispositiones

principales impertita, et nunc usque observata esse noscuntur, intacta custodiantur; » addita ratione; « cum perabsurdum, et perquam temerarium sit, hanc nostræ liberalitatem pietatis, æsemquam astuta interpretatione non ad augmentum anteriorum privilegiorum, sed diminutionem convertere, concedi. »

6. *Hæreditatem etiam pinguem nunquam adire potest pupillus sine tutoris auctoritate.* — Objicitur autem contra hanc regulam primo: In pupilli favorem sancitum est, ne valeat adire hæreditatem, quamvis pinguis, et lucrosa sit, textu expresso § 1, instit. de Auctorit. tut. et l. Obligari, 9, § 3, ff. eod. ibi: « Pupillus hæreditatem adire non potest, quamvis lucrosa sit; » atqui hoc videtur pupillo præjudiciosum: ergo quod in gratiam concessum, etiam in ejus damnum torqueri potest. Resp. cum Dyno, et Glossa hic: id non esse pupillo damnosum, sed favorabile, et utile; quia ordinarie periculum est, ne hæreditas habeat latentia onera, quæ pupillo magis nocere possent, quam hæreditas prodesse; ad quæ pericula et damna evitanda in favorem pupillorum sancitum est, ut etiam apparentem pinguem hæreditatem adire non valeant sine auctoritate tutoris: quæ ratio etiam additur cit. § 1, instit. de Auctorit. tut. ibi: « Neque tamen hæreditatem adire aliter possunt, nisi tutoris auctoritate, quamvis illis lucrosa sit; » audi rationem: « Ne ullum damnum habeant. »

7. Hinc bene post Dynum advertit Gloss., cit. quod, etsi universaliter loquendo in cunctis, de quibus certum est, conditionem pupilli effici meliorem, valeat factum pupilli etiam sine auctoritate tutoris per jura n. 4 et 5, citata; tamen sic non valeat in iis, in quibus ejus conditio vel deterior fit, vel periculum, et dubium est, an deterior, vel melior evadat: prout res se habet in additione hæreditatis.

8. *Judæi die sabbati non possunt conveniri, nec convenire in judicio.* — Objicitur secundo: Ex privilegio, et favore Judæis concesso non possunt in die sabbati conveniri, l. Die sabbati, 13, c. de Judæis. ibi: « Die sabbati, vel reliquis, sub tempore, quo Judæi cultus sui reverentiam servant, neminem aut facere aliquid, aut ulla ex parte conveniri debere præcipimus: » sed hic idem favor illis odiosus est; quia et ipsi propterea etiam Christianos tali tempore convenire non possunt, cum dictis verbis legis statim addatur: « ita tamen, ut nec illis detur licentia, eodem die

christianos orthodoxos convenire. » Resp. cum Dyno hic: Privilegium Judæis datum non stetisse in nuda concessione illis facta, sed additam esse conditionem, ut servetur æqualitas inter litigatores, et vitetur inæqualitas juxta præscripta juris, sicque Judæos gaudere suo privilegio, prout fuit. Accedit, non tam ex præfata lege, quam lege Mosaica principaliter provenire, quod Judæi in die sabbati non possint convenire christianos: quod vero christiani ipsos præfata die convenire nequeant, provenire præcise ex privilegio legis, quo plene fruuntur, sine subsecutione novi oneris. Strein, hic, n. 3.

9. *Prælati ecclesiastici repudiando hæreditatem, vel legatum, tenentur ad restitutionem. Ecclesia gaudet jure minoris.* — Objicitur tertio: Officiuin prælati ecclesiastici ex sua institutione ad favorem et indemnitate Ecclesiæ spectat, et tamen prælatus potest repudiare hæreditatem, et legatum Ecclesiæ relictum per fuses dicta et probata lib. III, tit. X, § 2; atqui hoc videtur Ecclesiæ non raro præjudiciosum: ergo quod in favorem est concessum, etiam in dispendium retorqueri potest. Resp. per accidens, et contra intentionem juris esse, quod per repudiationem hæreditatis vel legati Ecclesiæ præjudicet prælatus, utpote qui a jure datur Ecclesiæ, ut universaliter etiam in repudiando legato damna Ecclesiæ vitet, non causet. Eorum autem, quæ per accidens eveniunt, non habetur ratio. Strein, hic, n. 3. Accedit, quod, sicut tutor, si sua actione lædat pupillum, tenetur damnum resarcire l. Quidquid, 7, c. Arbitr. tutel. ibi: « Quidquid tutoris dolo, vel lata culpa, aut levi, seu curatoris minores amiserint, vel cum possent, non acquisierint, hoc in tutelæ, seu negotiorum gestorum utile judicium venire, non est incerti juris. » Sic etiam prælatus teneatur resarcire damnum causatum Ecclesiæ, utpote quæ gaudet jure minoris c. 1, de In integr. restit. ibi: « Quod si Ecclesia læsa est, et manifeste apparet detrimentum ipsius (cum episcopo ejus conditionem facere deteriorem non liceat, et Ecclesia jure minoris debeat semper illæsa servari) quæ in detrimentum ejus data constiterit, ad ipsius convenit jus, et proprietatem redire. » Casu quo autem prælatus satisfacere non potest; succurritur Ecclesiæ beneficio restitutionis in integrum. arg. cit. c. 1, de In integr. restit. et l. 1, ac fin. c. Si minor, ab hæredit.

10. *Sicut vera est regula præsens: sic vera*

NULLUS EX CONSIPIO, DUMMODO FRAUDULENTUM
NON FUERIT, OBLIGATUR.

est eidem a contrario opposita. Quod in pœnam et odium alicujus est introductum, non debet in ejus utilitatem et commodum converti: nisi remote ac mediate. — Cæterum sicut juxta dicta omnino vera manet regula: « Quod in gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum; » sic a sensu contrario vera etiam est regula, quam illa implicite continet: Quod in pœnam et odium alicujus est introductum, non debet in ejus utilitatem, vel commodum converti, uti notat et pluribus probat Glossa hic, et Dynus, arg. c. 2, de Translat. episc. circa med. ibi: « Quod statutum fuit ad pœnam, trahi non debet ad gratiam, » cum concord. quam tamen contrariam regulam cum Dyno sic intellige; quod idem actus non possit simul esse immediata, et proxima causa pœnæ, et præmii, seu commodi et damni: bene tamen mediata et remota; sic enim licet pœnam, et odium suspecti tutoris constitutum sit ut tanquam suspectus removeatur ab officio: tamen id etiam in commodum illius redundat, quia exinde non tenetur amplius de periculo administrationis neglectæ l. Decreto, 10, ff. de Suspect. tutor. Sic etiam, etsi in pœnam et odium militis, per ignominiam dimissi, statutum sit, ut « neque in urbe, neque alibi, ubi imperator est morari et liceat, » ut dicitur l. 2, § 4, ff. de His, qui notantur infamia; tamen exinde etiam id commodi et utilitatis censequitur, quod excusetur a tutelis, quæ deferuntur in urbe et aliis oneribus militum. Nam ut bene argumentatur Dynus, hic, n. 16, delictum est causa pœnæ: pœna vero est causa inhabilitatis ad aliquem actum, vel officium: inhabilitas autem est causa remotionis ab actu, remotio est causa exemptionis ab onere incumbente ratione actus vel officii.

11. *Regula fallit in gratiis et favoribus non motu proprio, sed ad petitionem concessis.* — Quæritur II. An et quas fallentias habeat regula 61. Resp. eam fallere in gratiis, quæ non motu proprio, sed ad instantiam petentis sunt concessæ. Glossa et Dyn., hic. Exemplum habetur in c. Prudentiam, 2, de Mutuis petit. ubi clausula appellatione remota in favorem impetrantis obtenta, in ejusdem læsionem retorquetur, si reus ipsum coram eodem iudice reconveniat. Ratio fallentiæ fundatur in illo juris principio: Quod quid juris in alterum quis statuerit, ut ipse eodem jure utatur. Tot. tit. ff. Quod quisque juris in alterum, et c. Cum omnes, 6, de Constit.

1. *Regula unde?* — Desumitur hæc regula ex l. Consilii, 47, ff. de Reg. jur. ibi: « Consilii non fraudulenti nulla obligatio est, » et aliis apud Glossam.

2. *Quomodo intelligenda?* — Quæritur I. Quomodo hæc regula intelligenda, et quis verus illius sensus sit? Resp. I, regulam id velle dicere, quod, cum ex consiliis etiam optima fide, et prudentissime datis, gravia non raro sequantur damna, is qui consilium bona fide dedit, ad resarcienda hujusmodi damna nullatenus obligetur. Hinc

3. *Verus illius sensus ponitur. Sine consilio nil agendum.* — Resp. II. Verus sensus regulæ hic est: « Qui alteri sive petenti, sive non petenti consilium bona fide præbet, nullatenus tenetur ad reparanda damna, vel sustinenda incommoda, quæ ex tali consilio præter intentionem sequuntur. » Ratio est, tum quia quamvis ex consilio unius alter ad agendum, vel omittendum efficaciter moveatur, tamen ad id sequendum minime obligatur, l. 2, ff. Mandati, § 6, ibi: « Nemo ex consilio obligatur, etiam non expediat ei cui dabatur; quia liberum est cuique apud se explorare, an expediat sibi consilium. » Unde sibi imputare debet, si ex consilio, quod quis non necessario, sed libere sequitur, damnum sentiat; tum quia si quis ex consilio etiam bona fide et prudenter dato ad resarcienda damna præter intentionem sæpe sequi solita obligaretur, et a commodis inde secutis excluderetur, nemo foret, qui consilium dare vellet: cum tamen pro humano commercio optimum, immo exigente charitate sæpe necessarium sit dare, et audire fidele et prudens consilium. Nam ut Spiritus Sanctus loquitur: *Ibi salus, ubi multa consilia, Prov., xi, 14, et xii, 12* ibi: *Qui sapiens est, audit consilia.* Nam qui omnia agunt cum consilio reguntur sapientia, xiii, 10, unde monet Spiritus Sanctus, *Eccli., xiii, 24. Fili, sine consilio nihil facias, et post factum non pœnitebis.*

4. *Procedit regula etiam in casu, quo consilium noceat tertio.* — Procedit regula etiam in casu, quo consilium bona fide datum in damnum tertii redundat: ut si quis alicui juste suadeat, ut adeat hæreditatem, qua suasionem non facta factus fuisse hæres aliquis tertius;

vel si consilium justum det, ut instituat actionem de recuperando prædio sibi debito, quod alias retinisset injustus detentor, etc.

3. *Dummodo bono fide detur. Consilium fraudulentum non excusat.* — Dicitur autem in responsione n. 2, data: « bona fide datum; » quia ex consilio non bona, sed mala fide, dolo, fraude, vel malitia dato obligationem dari, extra controversiam est, uti patet ex ipsis regulæ verbis: « Dummodo fraudulentum non sit; » ergo a sensu contrario, « si fraudulentum est, » obligatur. Quod idem clare innuitur cit. l. *Consilii*, 47, ff. de *Reg. jur.* ubi postquam regula nostra expressa fuit illis verbis: « Consilii non fraudulentum nulla obligatio est; » statim altera a contrario sequens additur: « Cæterum si dolus, et calliditas intercessit, de dolo actio competit; » idque non obstante ratione n. 2. allegata, videlicet, quod « consilium sequi nemo teneatur; » cum adhuc ratione fraudis teneatur c. *Sedes*, 15, et c. *Ex tenore*, 16, de *Rescriptis*. ibi: « Quia fraus et dolus alicui patrocinari non debent. »

6. *Fraudulenter consulens subinde tenetur non ipsi cui suavit, sed tertio, cui damnum inde secutum est, restituere: Quando? et quomodo?* — Notandum tamen singulariter cum Glossa, Dyno, et Strein hic, male consulentem non semper teneri damnum reparare illi, cui consilium dedit, sed subinde etiam tertio, cui damnum suo consilio intulit; et quidem si consilium circa contractum, vel quasi contractum, v. g. emptionem, venditionem, aut alium contractum dolose, seu fraudulenter dedit, damnum, quod inde secutum est, illi, cui consilium dolosum dedit, reparare tenetur per jura hactenus citata. Si vero consilium ad maleficium seu delictum, vel quasi tale dedit, v. g. ad perpetrandum homicidium, furtum, diffamandum, injuriandum, false accusandum, testificandum, etc., damnum inde secutum tertio huic reparare debet: idque non ex actione doli mali, sed actione malefici, aut delicti, quod suavit, v. g. si furtum suavit, actione furti tenetur l. *Si quis*, 52, § 21, ff. de *Furtis*, et l. *Si quis*, 20, C. eod. Si injuriam suavit, actione injuriarum § *Non solum*, 11, Instit. de *Injuriis*, ibi: « Non solum autem is injuriarum tenetur, qui fecit injuriam, verum ille quoque tenetur, qui dolo fecit injuriam, vel qui procuravit, ut cui mala pugno percuteretur. » Quod idem sancitum habetur, l. *Non solum*, 11, pr. ff. eod. ibi: « Non solum is in-

juriarum tenetur, qui fecit injuriam, hoc est, qui percussit, verum ille quoque tenetur, qui dolo fecit, vel curavit, ut cui mala pugno percuteretur. » Si adulterium suavit, tenetur lege Julia de *Adulterio*, l. *Hæc verba legis*, 12, ff. ad leg. Juliam. de *Adulter. coercend.* ibi: « Hæc verba legis ne quis posthac stuprum, adulterium facito sciens dolo malo, et ad eum, qui suavit, et ad eum, qui stuprum intulit, pertinent, » et sic de aliis delictis.

7. *Ei cui delictum suadet nil debetur.* — Ei vero, cui delictum suavit, ad nil obligatur, etiamsi et ille eadem actione teneatur per jura immediate, citata, indequæ damnum sentiat. Ratio est, tum quia delictum committens ipsemet scivit, et expendere debebat, id sibi non licere; tum quia « nemo de improbitate sua consequitur actionem, » l. *Itaque*, 12, § 1, ff. de *Furtis*.

8. *Fallit regula in assessoribus, advocatis, medicis, et aliis, qui ex defectu scientiæ, vi officii debite, bona fide, sed damnose suadent.* — Quæritur II. An etiam? et quas fallentias habeat hæc regula? Resp. eam fallere in assessoribus, advocatis, medicis, et aliis, qui ex officio consilium dare debent. Hi enim etsi non ex dolo, vel fraude, sed ex imperitia consilium alicui nocivum etiam bona fide præbeant, ad resarcitionem damni inde secuti obligantur, l. 2, ff. *Quod quisque juris in alt.*, ibi: « Si assessoris imprudentia jus aliter dictum sit, quam oportuerit non debet hoc magistratum officere, sed ipsi assessori, » et l. *Illicitas*, 6, § 7, ff. de *Officio præsid.* ibi: « Si cuius medico imputari eventus mortalitatis non debet, ita quod per imperitiam commisit, imputari ei debet; prætextu humanæ fragilitatis, delictum decipientis in periculo homine innoxium esse non debet. » Ratio est, quia hoc ipso, quod ex officio consilia præbeant, ex quasi contractu obligati existunt, necessariam ad id habere, et comparere scientiam; sine qua si officio hujusmodi funguntur, et ex imperitia consilium damnosum subministrant, culpam latam committunt. Culpa lata autem in jure æquiparatur dolo l. 1, § 1, ff. *Si mentor falsum modum dixerit*, ibi: « Lata culpa plane dolo comparabitur. »

REGULA LXIII.

EXCEPTIONEM OBJICIENS NON VIDETUR DE INTENTIONE ADVERSARII CONFITERI.

1. *Regula unde?* — Desumitur hæc regula ex l. *Non utique*, 9, ff. de *Except.* ibi: « Non

utique existimatur confiteri de intentione adversarii, cum quo agitur, qui exceptione utitur. » Cui concordat, c. *Cum venerabilis*, 6, de *Except.* ibi: « Exceptionem objiciens de intentione partis adversæ non intelligitur fuisse confessus. »

2. *Regula quomodo intelligenda? Exceptio quid? non insinuat confessionem.* — Quæritur. Quomodo hæc regula intelligenda, et quis verus illius sensus sit? Resp. I. eam sic esse intelligendam, quando quis ab alio aliquid petit, vel præterdit et hic quidem expresse non negat, nec expresse confitetur factum, in quo intentio actoris, seu petentis fundatur, sed tam excipit, seu ponit exceptionem aliquam contra hujusmodi petitionem, non censetur confiteri intentionem adversarii sui, id est petentis aliquid ab eo, v. g. Aliquis in judicio accusat quemdam dicens: Ego dedi huic mutuum pecuniam mille florenorum, quos necdum solvit; ergo peto, ut solvat: vel vendidi illi domum meam, et ille nondum solvit; peto ergo, ut compellatur ad solvendum: alter vero expresse non negat quidem mille florenos sibi mutuo datos, vel domum sibi esse venditam, neque id expresse fatetur, excipit tamen dicendo: jam pridem solvi: vel, adest pactum de non solvendo: vel, remisisti mihi debitum; hic non censetur fateri intentionem adversarii petentis. Ratio est, quia exceptio est actionis et intentionis exclusio, qua reus, seu ille, a quo aliquid petitur, id quod petitur, v. g. solutionem debitam, intendit improbare, et tacite saltem negare. arg. l. 2, ff. de *Except.* ibi: « Exceptio dicta est, quasi quedam exclusio, quæ interponi actioni cujusque rei solet, ad excludendum id, quod in intentionem, condemnationemve deductum est. » Ergo per eandem exceptionem fateri non censetur intentionem sui adversarii; tum quia hoc est contra essentiam, et intrinsecam naturam exceptionis juxta primum dicta; tum quia, si excipiens fateri censeretur, exceptio duos sibi contrarios effectus haberet, confessionem videlicet, et negationem intentionis, quam adversarius præterdit: quod inconveniens est, arg. l. *Non omnis*, 19, ff. de *Reb. creditis.* et l. *Legat.*, 19, ff. de *Legat. I.*

3. *Declaratur exemplum juris.* — Exemplum juris habetur, cit. c. *Cum venerabilis*, 6, de *Except.* ubi orta inter episcopum Sabiniensem, et monasterium Farsense, lite, agente, et præterdente episcopo, Ecclesiam Sancti Viti cum spiritualibus, et tempora-

libus possessionibus et pertinentiis ad se pertinere: quam intentionem suam antequam sufficienter fundaret episcopus, procurator monasterii præpropere excipiendo respondit Ecclesiam, etsi olim ad episcopum pertinuisset, de facto tamen ad monasterium pertinere ex causa mutationis. Quo audito episcopus suam intentionem sufficienter fundatam dicebat; quia (aiebat) si monasterium causa permutationis Ecclesiam obtinuit, ergo antecederet ipsa ad episcopum pertinebat. Quo non obstante Papa decidit episcopum intentionem suam minime fundasse allegando regulam nostram ibi: Quia exceptionem objiciens de intentione partis adversæ non intelligitur confessus. » Hinc

4. *Ponitur verus sensus regulæ.* — Resp. II. Verus regulæ sensus sequens est: Quando reus contra intentionem actoris exceptionem opponit, adversarii intentionem non censetur fateri, nec huic, sed actori adversario incumbit onus probandi, dummodo factum, in quo intentio actoris fundatur, absolute non fateatur. » Per jura, et rationem allegata. »

5. *Si reus factum, in quo actor suam intentionem fundat, fatetur quidem, sed excipit, onus probandi incumbit reo.* — Dicitur autem notanter: « dummodo factum, in quo intentio actoris fundatur, absolute non fateatur; » quia si reus fatetur, tunc actor suam intentionem jam satis fundasse in tantum censetur, ut relevetur ab onere probandi, et reo incumbat onus probandi suam exceptionem, v. g. Si Caius actor dicat: Titio, mutuos dedi mille florenos, quos ut mihi solvat, peto; vel; Vendidi Titio meam domum trecentis aureis, quos, quia non solvit, ut ad solvendum compellatur, insto; vel; Titius meum parentem occidit, ergo peto satisfactionem; Titius vero respondeat: Fateor quidem Caium mihi mutuos dedisse mille florenos; sed nihil amplius ei debeo, quia pridem jam solvi: vel quia mihi hoc debitum jam dudum condonavit; vel: Verum quidem est quod Caius mihi vendiderit domum, sed pretium non amplius debeo; quia loco hujus, ipso volente et instante Caio dedi aliud bonum immobile; vel: Verum est quod occiderim patrem ipsius, sed ob necessariam mei defensionem. Per hujusmodi enim confessionem facti, in quo intentio Caii actoris fundatur, Caius, uti dictum, ab onere probationis relevatur, et Titius eo gravatur, ac suam exceptionem probare debet, cum tali excep-